B. N. C.
FIRENZE
1014
27

1014.27

7 A

XXXIV
CRE. B



II

ASSERTIONES THEOLOGICÆ

QVAS SVB AVSPICIIS

AMPLISS. AC REVERENDISS. D.D.

IOANNIS RASSE

ABBATIS

TOTIVSQ; ORDIN: ANTONIANI GENERALIS MERITISSIMI,

PVBLICE DEFENDENDAS
Per Canonicos Regulares Sancti Auguſtini.
Ordinis S. Antonij,

Expoſuit Reu. admod. P. Auguſtinus Cretot Rothomagenſis, Canonicus Regularis eiuſdem Ordin. Sacræ Theologiæ Profeſſor necnon & ampliſſimi, ac Reuerendiſſ. D. D. Abbatis præſati Vicarius in Domo S. Antonij Florentiæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

FLORENTIAE

Ex Typographia ſub ſigno Stellæ. M.DC.LXIX.
Superiorum permiſſu.

AMPLISSIME, AC REVERENDISS. PRAESVL.

EX tua diſpoſitione Sapientiſsima (Præſul Ampliſsime) ſub tuis fæliciter Auſpicijs noſtra hæc Theologia initium duxerat: eam promouiſti tua perpetuo aſsiſtente vigilantia, inuictiſsimam inſpirando Conſtantiam, Fortitudinemq; pluſquam LEONINAM, ad vincẽdas, quæ in decurſu occurrebant, perennes difficultates: Supereſt nunc vt Coronidem imponas, eamdemq;, capto prius ad fauſtiſsimam tuam præſentiam noſtrorum Studiorum experimento, CORONA dones meritiſsima. Non enim caſu factum exiſtimamus, ſed ſpeciali potiùs Cæleſtis Numinis beneficio, quod ſuperatis tot tantiſque, terra marique laboribus, tuo fruamur benigno Aſpectu, Te iterum reduce, tanquam Sole deſideratiſsimo, potiamur: nimirum, vt tuis Illuſtremur Scientiæ, qua omnibus inſigniter conſpicuus præfulges, Radijs; Vt accendamur eo omnis generis virtutum exemplo, quo vniuerſum Ordinem noſtrum, ab hinc annis amplius viginti tribus, prudentiſsime moderaris & Sanctiſsime; ac denique vt in præſenti Sacrarum Litterarum quamtumuis incruento conflictu, Clariſsimo Inclytæ Protectionis tuæ Scuto, ad vota Gaudeamus. Ecce igitur Nos ad Te (Reuerendiſsime in Chriſto Pater) veluti Filij chariſsimi ad Patrem Amantiſsimnm ſimul

& colendiſſimum, Venerabundi accedimus: Ecce ad pedes tuos humillimè prouoluti tuam petimus Benedictionem: Ad quam vt ad Claſsicum Animo ſupra vires aſſumpto procedimus in prælium: Speramuſque Signum illud TAV, quod PALMIS inſertum, ad Nobiliſsimum Stemma tuum, additum præfers, & Quo Tu ipſe Nos licet meritis impares ornaſti, dum in numerum tuorum adſcribebas, Futurum nobis Omen Victoriæ Auſpicatiſsimum. Vale. Ex tua Domo Sancti Aatonij Florentiæ

Ampliſsime, & Reuerendiſsime Præſul

Deuotiſſimi, ac Obſequentiſſimi Serui

Fr. Petrus Barbe Monsferrandenſis,

&

Fr. Paulus Autin Rothomagenſis

Canonici Regulares S. Auguſtini.

Ordinis S. Antonij.

ASSERTIONES EX VNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTÆ.

EX PRIMA PARTE.

I.

HÆC Propoſitio (Deus eſt) Iure meritò omnium prima, ſecundum ſe nota eſt per ſe immediate, propter realem Immediatam ac ſummam Identitatem extremorum. Quoad nos tamen, non eſt nota per ſe immediate, Sed vt innoteſcat hic in via, indiget medio aliquo diſcurſu.

II.

Euidenter à poſteriori, ſeù ab effectibus demonſtrari poteſt, dari in hoc vniuerſo, Primum Ens, actù neceſſariò ſemper exiſtens, ſibi ſufficientiſſimum, à quò cætera omnia dependeant, tùm quoad Eſſe, tùm quoad operari. Illudque eſt Deus Opt. Max.

III.

Ita vnus eſt Deus, & ſimplex, vt nec plures Dij dari poſſint, nec in vno Deo partes actu realiter diſtinctæ: Vnde Perfectiones eius Abſolutæ, ſiue Attributa Abſoluta, non diſtinguntur realiter inter ſe, nec ab Eſſentia Diuina; imò nec virtualiter intrinſece, ſed ſolùm virtualiter extrinſece.

IIII.

Attributa autem Relatiua ab Abſolutis, & liberæ terminationes à Neceſſarijs, diſtinguntur virtualiter Intrinſecè, licet realiter inter ſe idemtificentur; nimirum licet Idemtificentur realiter Paternitas & Deitas, tamen vere affirmabilis

mabilis eſt de Deitate Communicabilitas, quæ vere negabilis eſt de Paternitate.

V.

Primarium conſtitutiuum & diſtinctiuum Deitatis, eſt Aſſeitas, ſeu eſſe Ens a ſe: ab hoc enim, vt à radice, cæteræ perfectiones Diuinæ & Attributa, intelliguntur fluere tanquam proprietates: Quas rectè omninò Theologi diſtribuunt in Negatiuas, & Poſitiuas. Deus eſt Infinitus, Immenſus, æternus, & Immutabilis, eſt etiam omnipotens, ex ſe præciſe & adæquate ſua propria Potentia.

VI.

Nulli Naturæ Creatæ aut Creabili connaturalis eſſe poteſt Viſio Dei Immediata: Supernaturalis eſſe poteſt, nimirum per eleuationem. Et de facto Intellectus Beatorum eleuatur per Lumen Gloriæ, quod eſt Qualitas quædam Supernaturalis creata, intrinſece inhærens, eleuans ad viſionem Dei immediatam, ad quam efficiendam concurrit.

VII.

Lumen Gloriæ præfatum, non diſtinguitur realiter à ſpecie impreſſa Dei: quam eatenus poſſibilem eſſe contendimus. Idem ipſum, eſt vnica cauſa inæqualitatis viſionis Beatificæ pro meritis inæqualibus per modum præmij retribuendæ: ita vt alterius comprincipij perfectio inæqualis, Intellectus nimirum Angelici vel humani, ſe habeat purè materialiter.

VIII.

Habet Deus Scientiam de omnibus quæ Sciri poſſunt perfectiſſimam, Intuitiuam & compræhenſiuam: eiuſque motiuum formale adęquatum, eſt ipſa Eſſentia Diuina, pro vt diſtincta à Perſonalitatibus. Hinc Poſſibilia, Imperfectiones, Mala, Negationes, Entia Rationis, & ſimilia, licet in ſe nihil ſint ab æterno, non tamen fugiunt aciem Diuinam.

IX.

Imperfectam cognitionem Abſtractiuam à Deo ablegamus, ſicuti

ſicuti & Iudiciũ quodlibet falſũ, aut ſe ipsũ falſificans; quale ſanè eſt Iudicium de quolibet ſub hypotheſi falſa. Imò exiſtimamus impoſſibile eſſe vt vllum Iudicium creatum feratur de quolibet ſub hypotheſi Impoſſibili, quamdiu cognoſcitur ea hypotheſis ſub ratione expreſſa Impoſſibilis. Vnde licet eę hypotheſes Impoſſibiles, ad ſcientias per ſe inutiles ſint, tamen per accidens, nonnunquam prodeſſe poſſunt.

X.

Contingentia Abſolute futura nouit Dominus: cui nihil propriè præteritum eſt, nihil futurum, ſed omnia phyſice præſentia ſecundum Æternitatem omnino indiuiſibilem. Atq; hæc Scientia vocatur Scientia Viſionis, ad quam, tanquam conditio determinat Decretum Dei Abſolutum, quoad ea quæ à ſolo Deo dependent; præſentia verò phyſica, determinat quoad illa quæ dependent ab exercitio & vſu Libertatis Creatæ.

XI.

Contingentia etiam conditionate futura nouit ille, quem nulla latet veritas ſub quacumque intelligatur hypotheſi poſſibili, a Libertate creata dependenti, etiam ante omne Decretum vel ſtatum Abſolutum. Huiuſmodi Scientia vocatur Media, inter Scientiam ſimplicis Intelligentiæ & Scientiam viſionis: atq; ad eam determinat ſola eſſentia Diuina.

XII.

Amat ſe ipſum Deus neceſſariò & compræhenſiue quoad omnia ſua prædicata; amat & Creaturas vt poſſibiles atque motiuum formale adæquatum voluntatis Diuinæ eſt ipſa eſſentia Dei, quæ cùm in ſe contineat omnem puram bonitatem & perfectionem ſine vlla imperfectione, ſe ſola ſufficiens eſt, vt in eadem velut in Centro & fine Vltimo adæquato conquieſcat omnis Amor Diuinus.

XIII.

Actus Dei circa Creaturarum exiſtentiam ad extra ſunt perfectiſſime

fectiſſime liberi. Non conſtituuntur inadæquate per aliquid creatum, ſiue in tempore exiſtens, ſiue ab æterno habens entitatem quamdam realem diminutam à Deo realiter diſtinctam: Sed adæquate idemtificantur cum Deo, etiam quatenus liberi formaliter.

XIV.

Terminationes liberæ incompoſſibiles, puta Volitio & Nolitio condendi Mundum, diſtinguntur inter ſe realiter: compoſſibiles verò & inſeparabiles mutuò, puta Decretum Abſolutum & Viſio eiuſdem, diſtinguntur inter ſe ſolùm Virtualiter extrinſece: at compoſſibiles & ſeparabiles non mutuò, puta Scientia Media & Scientia Viſionis circa idem, diſtinguntur inter ſe Virtualiter intrinſece.

XV.

Optimè diſtribuunt Theologi voluntatem Diuinam in Antecedentem & Conſequentem, Beneplaciti & Signi. Odium omne proprie ac ſtricte tale, ſolam inducens inimicitiam ſine omni penitus Amore, à Deo excludendum ducimus; eius Amor in ſe entitatiue æqualis erga omnes Creaturas, inæqualis eſſe poteſt ſolùm extrinſece, pro bono maiori vel minori quod illis confert, & cuius eſt menſura. XVI.

In Deo eſt perfectiſſima & Immediata Prouidentia naturalis circa Res omnes creatas, quæ à parte rei conſtituitur per actum Intellectus & Voluntatis: relate tamen ad noſtros concipiendi modos imperfectos. in recto formaliter, potius conſtituitur per actum Intellectus quàm per actum voluntatis. XVII.

Decernit Deus vniuerſim omnia ſimul & ſemel, vnico actu Indiuiſibili non ſolùm realiter ſed etiam virtualiter intrinſece: ita vt pluralitas Decretorum nulla ſit pręterquam virtualis extrinſeca. Rebus iam ex Summa ipſius libertate exiſtentibus, prouidet ſemper optimum connaturale, debitum determinate ſingulis in indiuiduo; atque ad id tenetur ſolum quadam neceſſitate morali, circa bonum verò quod vage

ſolùm

ſolùm & indeterminate debitum eſt, poteſt Deus eſſe beneficus Specialis.

XVIII.

Datur in Deo ab æterno Prædeſtinatio ſupernaturalis, qua efficaciter & determinate ad Gloriam & merita nonnullos præ alijs prædefinit & præordinat: hanc antecedit virtualiter intrinſece Scientia media Meritorum; Scientia autem viſionis eorumdem, nec antecedit, nec ſubſequitur, ſed concomitatur; ita vt merita præuiſa abſolute futura, non antecedant voluntatem efficacem dandi Gloriam vt Coronam, niſi in aliquo priori Rationis quoad nos, ſeu virtualiter extrinſece.

XIX.

Actiua Prædeſtinatio eſt cauſa totius Prædeſtinationis Paſſiuæ, ſeù voluntas Dei efficax dandi talem ac tantam Gloriã per hæc determinate merita, eſt cauſa omnium illorum effectuum, puta vocationis, Initij fidei, Iuſtificationis, &c. ac tandem ipſius Gloriæ. Non poteſt Prædeſtinatus ipſe eſſe cauſa omnium effectuum prædictorum, licet ſit cauſa aliquorum.

XX.

Abſolute ſimpliciter libera eſt Deo prædeſtinatio; Secundum quid ſolùm, non eſt illi libera: è contra, homini libera eſt ſolùm ſecundum quid, ſua prædeſtinatio. Datur in Deo ab æterno Reprobatio nonnullorum quos relinquit in maſſa corruptionis: neminem tamen poſitiue reprobat niſi ex præuiſa indignitate finali:

XXI.

Myſterium Trinitatis ſtupendum, non eſt contra Rationem Naturalem, licet eamdem infinite excedat: ad hoc ſpectãreales Proceſſiones, Relationes, Notiones & Proprietates, quæ ſunt prędicata quædam Perſonalia conſtituentia ac diſtinguentia Perſonam vnam ab alia; ac proinde in eadem Perſona non diſtinguntur, nec realiter, nec virtualiter in-

 intrinſece.

intrinſecè. Quoad nos tamen, Proceſſiones, ſiue Origines, ſunt conſtitutiuæ Perſonæ cuiuslibet, in ijſque intelliguntur fundari cætera Attributa Perſonalia.

XXII.

Relationes in Diuinis vt diſtinctæ virtualiter intrinſece à Deitate, non important ſpecialem perfectionem. Natura Diuina eſt Principium virtuale totius Trinitatis: Pater eſt principium reale filij & Spiritus Sancti. Filius per Intellectum procedit: eiuſque proceſſio, Generatio dicitnr; non item proceſſio Spiritus Sancti, qui ſi à Filio non procederet, neque ab eodem realiter diſtingueretur.

XXIII.

Dantur de facto plures Angeli ſpecie differentes: & plures ſolo numero diſtincti. Dona Gratiæ ſupernaturalia, diſtributa ſunt inæqualia ſecundum inæqualitatem Naturæ ipſorum: Vnde & qui meritis Gloriam conſecuti ſunt, etiam inæqualem adepti ſunt proportionaliter. Dæmones cruciantur Igne Infernali, non per combuſtionem phyſicam, ſed per alligationem localem.

EX SECVNDA PARTE.

XXIV.

Omnes Actus humani eſſentialiter ſunt propter finem vltimum: propter hunc enim cætera omnia amantur, & eliguntur, ipſe verò propter ſe ipſum qui eſt tanquam Ratio ſuprema volendi, vel formaliter explicite, vel virtualiter implicite. Hinc niſi incipiat mouere finis, nulla ſequitur actio; quo obtento vel ceſſante mouere, ceſſat & ipſa.

XXV.

Finis ille vltimus, ſeù Beatitudo obiectiua hominis, verè à parte rei, eſt Solus Deus: qui Solus omnem in ſe continens rationem boni, ſatiare poteſt Appetitum noſtrum Rationalem: cæteris enim occupari poteſt, expleri omninò

non

non poteſt. Fatendum tamen eſt bona aliqua creata pertinere ad integritatem & perfectionem accidentalem ſecundariam beatitudinis humanæ.

XXVI.

Eſſentia & conceptus primarius Beatitudinis noſtræ Formalis conſiſtit adæquatè in ſola Dei viſione immediata: eàque intrinſecè indefectibili, reſpiciente videlicet Deum vt ſummum videntis bonum in actu ſecundo. Sunt autem de conceptu Secundario eiuſdem Beatitudinis Formalis, Amor Beatificus, & Gaudium Beatificum: viſionem enim Beatificam ſequuntur tanquam proprietates eſſentiam.

XXVII.

Pro inæqualibus meritis inæquale rependitur præmium; nam qui parce ſeminat, parcè & metet. Quare actus Beatifici circa Summum Bonum inæquales ſunt in Beatis, nec eiuſdem intentionis gradus. Amor, Gaudium & Fruitio Beatifica, in Patria identificantur realiter: in via autem, minimè. Imò Charitas Patriæ, diſtinguitur realiter à Charitate viæ.

XXVIII.

Ratio voluntarij perfectè, nimirum cum aduertentia ad proportionem, quam habent inter ſe finis & media, competit ſolùm Actibus humanis. Omnes autem Actus voluntatis humanæ participant rationem voluntarij: cui proinde repugnat pati violentiam in actibus ſuis internis immediate.

XXIX.

Metus per ſe afficiens Naturam humanam, puta Metus pœnæ iuſtè pro peccato infligendæ, non Inducit per ſe inuoluntarium, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid: quin imò eſt cauſa voluntarij perfectè. Metus per accidens Naturam humanam afficiens, puta Metus amiſſionis vitæ niſi proijciantur merces tempeſtate vrgente, inducit partim voluntarium & partim inuoluntarium: magis tamen, imò ſimpliciter voluntarium, & ſecundum quid tantum, inuoluntarium.

XXX.

Concupiſcentia non efficit inuoluntarium, ſed potius quantum eſt de ſe auget voluntarium. Ignorantia Concomitās, nullum cauſat Inuoluntarium: cauſat tamen non voluntarium. Ignorantia verò Antecedens, cauſat non ſolùm non voluntarium, ſed etiam inuoluntarium ſimpliciter & abſolute. Ignorantia denique conſequens, per ſe prçciſe, cauſat voluntarium ſimpliciter, & Inuoluntarium ſecundum quid.

XXXI.

In homine ineſt Libertas Indifferentiæ, qua poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere: non tamen circa Bonum vt ſic in cōmuni, nec circa Fœlicitatem vt ſic, nec circa Deum cognitum vt Primam Cauſam & vt ſummum Bonum; Sed circa Bona particularia, cognita cum aliqua ratione acceptabilitatis, & cum aliqua ratione reſpuibilitatis.

XXXII.

Actus liber differt intrinſece eſſentialiter à neceſſario, ita vt adæquate habeat identificatam ſecum libertatem in actu ſecundo. Implicat voluntatem exercere ſuam libertatem pure non volendo: Suſpendendo omnem ſuum actum volendi, ita vt pure, & nihilominus libere omittat.

XXXIII.

Omnes & ſoli Actus humani liberi, ſunt laudabiles vel vituperabiles, laudabilitate vel vituperabilitate ſtricte & proprie ſumpta. Quare Actibus Diuinis, non laus ſtricte, ſed honor potius & ſuperlaudibilitas gratificatiua debetur: creſcere enim non poteſt intrinſece excellentia Dei, ſed ſolum manifeſtari ad extra cum vtilitate noſtra.

XXXIV.

Ad Moralitatem ſtricte, nempe ſumptam pro dignitate laudis, vel vituperij præfati, præmij vel ſupplicij, non ſufficit libertas ad actus omninò æquales in genere moris, quamtumuis

tumuis fortè diſſimiles & inæquales in genere phyſico. Sed requiritur inæqualitas, per quam explicite vel implicite comparetur honeſtum cum inhoneſto, vel magis honeſtum cum minus honeſto.

XXXV.

Voluntas Diuina eſt Prima & vniuerſalis Regula Morum. Differunt ex parte obiecti voluntas Dei Præceptiua & Prohibitiua; ita vt illud quod præcipitur ſit formaliter intrinſece ex ſe adæquate præceptibile; & illud quod prohibetur, ſit ex ſe prohibile. Similiter voluntas Conſiliatiua differt ex parte obiecti à voluntate legiſlatiua ſtrictè; quatenus illud quod conſulitur, ex ſe ſit vage & indeterminate honeſtum.

XXXVI.

Dictamen Conſcientię eſt Regula Proxima & immediata Morum. Vnde quando errat inuincibiliter, operans iuxta ipſum, excuſatur à Culpa: at ſufficit vt actus ipſi conformis, honeſtus euadat. Quando autem errat vincibiliter, nunquam à culpa excuſatur, operans ſiue iuxta, ſiue contra ipſum: tenetur enim tunc inquirere veritatem.

XXXVII.

Suppoſito Præcepto Dei aut Conſilio, debita eſt ſufficientia ad executionem operis quod præcipitur vel conſulitur: neque ea ſufficientia eſt Gratia aut donum moraliter diſtinctũ ab eodem Præcepto aut Conſilio. Ad vitandum Peccatum lethale, non ſolum ſufficientia Phyſica requiritur, ſed etiam Moralis.

XXXVIII.

Cogitatio Congrua, quæ à Deo datur ad actum bonum eliciendum, eſt Gratia ſuperaddita, & aliquo modo diſtincta, tùm à Dono Creationis, tùm ab eleuatione ſecundum ſe in ſtatu eleuationis, reſpectu ſingulorum in quolibet ſtatu determinate ſumptorum. Nam qui habet de facto huiuſmodi Cogitationem, eo ipſo vt ſic excedit eum qui non habet.

XXXIX,

Auxilia Gratiæ poſitiuè ſalutaria, ad finem ſupernaturalem perducentia, ſunt intrinſecè & quoad ſubſtantiam Supernaturalia: hinc tàm Natura Innocens quam Natura lapſa, Indigent Gratia intrinſece Supernaturali, ad opera quibus vita æterna in viſione immediata Dei conſiſtens, obtineri debet. Verùm Natura lapſa, etiam cum huiuſmodi Dono, debilior eſt cęteris paribus quam Natura Innocens.

XXXX.

Non eſt de eſſentia Natura Puræ quod Appetitus ſenſitiuus ſit perfectè ſubiectus Rationi. In ſtatu Naturæ lapſæ elici poſſunt actus boni morales abſque Gratia intrinſece ſupernaturali: ſine qua tamen nec tota lex naturalis, nec diù, obſeruari poteſt: etiam Dilectio Dei Naturalis, ſuper omnia, ſinè Gratia intrinſece ſupernaturali, impoſſibilis eſt moraliter: Similiter, cum auxilijs Gratiæ ordinarijs, vitari non poſſunt omnia collectiue venialia.

XXXXI.

Iuſtificatio fit per Gratiam habitualem intrinſecè inhęrentem: eaq; nō diſtinguitur realiter à Charitate habituali. Peccatū habituale dicit eſſentialiter priuationē Gratię habitualis, tanquam conſtitutiuum formale: Sic peccatū originale dicit in omnibus Adami Poſteris eo infectis priuationem Iuſtitiæ Originalis: contrahiturque in primo inſtanti generationis ſingulorum.

XXXXII.

Peccatum ſiue operatio mala, in ratione Culpæ eſt maius malum quàm Poena, ſiue Damni, ſiue Senſus, ſiue vtraque ſimul, propter Peccatum inflicta. Ad Remiſſionem lethalis (quod ſolùm ſimpliciter Peccatum dicitur) requiritur eſſentialiter infuſio Gratiæ; ita vt ſine hac, etiam de potentia abſoluta remitti non poſſit: verùm ſufficit ea Infuſio; non enim ſtare poſſunt ſimul peccatum & Gratia habitualis, etiā Diuinitùs.

XXXXIII.

In Adulto habente Lethale Perſonale, requiritur diſpoſitio aliqua propria, vt Iuſtificetur de potentia ordinaria: de potentia Abſoluta non requiritur. Actus Charitatis non eſt Forma per ſe immediate Sanctificans.

XXXXIV.

De conceptu operis Meritorij, eſt contemptus quidam liber & aliqualiter arduus commodi alicuius temporalis, quod reijciatur propter honeſtatem ſimpliciter, aut propter peculiarem aliquam & excellentem honeſtatem ſectandam. Ad meritum de condigno, Status vię neceſſarius eſt: imò & ſtatus Iuſtitiæ habitualis, in eo qui apud Deum meretur.

XXXXV.

Actus externus præciſe, & actus imperatus præciſe, non auget meritum: Intenſio tamen maior actus Interni, auget: debetque meritum eſſe tempore, vel natura prius quam præmium reſpectu Creaturæ puræ merentis; quæ nec mereri poteſt formaliter per actus alienos, phyſice elicitos ab alio, ſibique imputatos moraliter.

XXXXVI.

Motiuum Formale Fidei Theologicæ eſt Deus Solus, quatenus eſt Prima veritas Reuelans: Motiuum autem volendi Credere eadem Fide, eſſentialiter præſupponit euidentiam Credibilitatis.

XXXXVII.

Reſolutio vltima actus ipſius Fidei Diuinæ præciſę, fit in primā veritatem Reuelantem; volitionis autem Credendi, fit in euidentiam prudentis Credibilitatis obiectorum, obligantem ſub peccato ad Credendum; ac denique Reſolutio vltima euidentiæ præfatę, fit in ſigna ſenſibilia miraculorum, propoſitionis extrinſecæ Sufficientis ac legitimę ſub omnibus humano modo requiſitis conditionibus.

XXXXVIII.

Fides Diuina ordine Naturæ præcedit actus omnes Spei & Charitatis

Charitatis Theologicæ. Motiuum Formale adæquatum Spei, eſt Deus ſolus, ſeu eſt omnipotentia Dei quatenus promittentis.

IL.

Charitatis motiuum Formale adęquatum, eſt iterum Deus ſolus, ſeu eſt Summa Bonitas quatenus ſibi ipſi conueniens. Augetur habitus Charitatis per actus quoslibet, tùm ſuos, tùm aliarum virtutum Supernaturalium; Intenſionis, ſiue æqualis, ſiue minoris.

L.

Poteſt Charitas imperare efficaciter actus cæterarum virtutũ; nullus tamen actus Charitatis poteſt abſolute efficaciter ac omnino determinate imperari ab vlla alia virtute.

EX TERTIA PARTE.

LI.

MYſterium Incarnationis eſt maximè conueniens, reſpectu Dei, quatenus in illo manifeſtauit nobis Miſericordiæ, & Iuſtitię ſuę theſauros infinitos; reſpectu noſtri, quatenus nullum aptius eſſe poterat remedium poſt lapſum totius Generis humani; ac denique reſpectu totius vniuerſi, quatenus expediebat Creaturas ad Creatorem quàm Summe fieri poterat accedere; vtique per vnionem Verbi cum illa Natura quę eſt cæterarum compendium.

LII.

Summa tamen ea Conuenientia non ita neceſſitanit Deum, vt abſolute non potuerit Incarnationem non efficere. Poterat, qui nullius indiget, nolle ſe ipſum omnino manifeſtare ad extra. Poterat, etiam ex hypotheſi Orbis conditi, vel peccati actu commiſſi, relinquere humanitatem, cum ſua ſubſiſtentia propria naturali. Verum ſuppoſita eleuatione noſtra ad finem ſupernaturalem, Incarnatio ex natura Rei fuit necnſſaria ad delendum peccatum.

Malitia

LIII.

Malitia Peccati Lethalis non eſt infinita ſimpliciter: licet ſit inadęquabilis & incompenſabilis de condigno per quęlibet opera purę Creaturæ, quantęlibet illa fuerint perfectionis & Intenſionis: bonis enim operibus puræ Creaturę ineſt vis inductiua bonorum cum limite, peccato verò Lethali vel vnico, ineſt vis corruptiua eorumdem abſque limite.

LIV.

Creſcente Dignitate operantis, creſcit & valor operis meritorij, & ſatisfactorij, cæteris paribus. Quo fit vt valor operum Chriſti, & Magnitudo Intenſiua eorum, ſpectata pręciſe ſecundum ſe, fuerit Infinita ſimpliciter. Magnitudo autem extenſiua, ſpectata ſecundum ſe pręciſe, & in actu primo, etiam fuerit infinita ſimpliciter: at in actu ſecundo ſpectata, ſecundum intentionem efficacem Chriſti operantis & determinantis, fuerit limitata, & determinata.

LV.

Satisfactio a Chriſto Domino exhibita, fuit in toto illo rigore Iuſtitiæ ad remiſſionem Peccatorum, qui ſecundum Iuſtitiam Commutatiuam intercedere poteſt, inter Deum ex vna parte, & homines ex altera. Vere enim nomine noſtro, ex conſenſu Creditoris, dolores noſtros ipſe tulit & languores noſtros ipſe portauit.

LVI.

Incarnatio Chriſti, gratia ſui primo principaliter decreta fuit à Deo: hoc eſt, Chriſtus à Deo intentus eſt primo ac principaliter propter excellentiam propriam, & vt ſubordinans ſibi ſecundum ſe, reliquas exiſtentię ſuæ cauſas finales extra Deum. Inter quas, Remedium peccati hominum, ſiue Redemptio totius Generis humani eſt cauſa finalis extrinſeca pręcipua, non tamen vnica & adequata.

LVII.

Peccatum Originale fuit cauſa finalis partialis, magis præcipua Incarnationis Chriſti, quàm peccatum actuale cuiuſq;

Perſonæ proprium. Vno eodemque virtualiter intrinſece Decreto, Incarnationem omneſque eius circumſtantias & effectus, Decreuit Deûs: Non tamen, citra Reuelationem Specialem ex vi præſentis decreti, certò Scire poſſumus; vtrum futura eſſet eadem Incarnatio pro alio rerum Statu. Deus ſolus ipſe nouit, & cui reuelare voluerit.

LVIII.

Nullum meritum præceſſit, cuius præmium eſſet Incarnatio Chriſti, quoad Subſtantiam: quoad circumſtantias verò loci, temporis, proſapiæ, &c. etiam nullum præceſſit meritis proprie ac ſtricte tale. Præceſſit igitur ſolùm quædam congruitas ſeu meritum aliquale de congruo, late & impropriè dictum, abſque omni cauſalitate proprie tali; nimirum in Beatiſſima Virgine, & Antiquis Patribus.

LIX,

Solus Filius Diuinus Incarnatus fuit vere at propriè: ita vt humanitas Chriſti vnita fuerit immediate cum ſolà perſonalitate verbi; non autem cùm alijs Perſonalitatibus; neque cum Deitate ipſa. Verbum aſſumpſit totam humanitatem, nimirum Animam Rationalem, & corpus ipſum humanum vnitum cum Anima. Probabiliſſimum videtur quod aſſumpſerit immediate Sanguinem, alioſque humores.

LX.

Vnio hypoſtatica fundat communicationem Idiomatum, inter Deum & hominem: ita vt attributa cuiuſuis Naturæ propria, ac prædicabilia in concreto, vi vnionis hypoſtaticæ mutuò communicentur in concreto, dummodo in prædicatione includatur ſuppoſitum, vel ſaltem non excludatur. Prædicabilia in abſtracto tantùm, nullatenus communicantur. Vſum vocum receptiſſimum præſertim attendas, vel loquere cum cautela de myſterio ineffabili.

LXI.

Verbum communicat Humanitati Chriſti Sanctitatem Infinitam ſicuti & Deitatem; redditque eo ipſo, etiam præciſis

cæteris

cæteris donis accidentalibùs, Sanctam formaliter, Impeccabilem, Deo gratam, & dilectam ſupra quodlibet aliud creatum.

LXII.

Ornatur nihilominus Anima Chriſti prætereà Donis ſupernaturalibus: puta Gratia habituali, ſiue Charitate habituali, & alijs virtutibus moralibus, ex Sanctitate præfata ſubſtantiali tanquam Radice ortis, eiuſdemque ſpeciei infimę cum ijs quæ in cæteris Iuſtis reperiuntur.

LXIII.

Non intelligit, nec vult formaliter, Anima Chriſti per intellectionem & volitionem Increatam. Habet Viſionem immediatam Dei, ſicuti & cæteri beati: habet Scientiam infuſam, & intrinſece ſupernaturalem, qua omnia creata intuitiue videt ſimul, & comprehenſiue: habet Scientiam per diſcurſum humanum; imo & ſenſuum experimento acquiſitam. Nam huiuſmodi omnia ornamenta Chriſto debebantur titulo Redemptoris, Principis, ac Magiſtri Vniuerſalis.

LXIV.

Chriſtus in ſenſu compoſito vnionis hypoſtaticæ fuit impeccabilis, immediate ratione vnionis, & non tantum ratione viſionis beatificæ aut Gratiæ habitualis aliorumque donorum ſupernaturalium, quibus ornabatur; idque non tantum ex natura rei, ſed etiam de potentia abſoluta. Similiter & in ſenſu diuiſo fuit impeccabilis, etiam de potẽtia abſoluta

LXV.

Humanitas actu exiſtens ante aſſumptionem hypoſtaticam, ac deſtinata vt à Verbo aſſumatur, fuiſſet Impeccabilis; talem enim eo caſu decuiſſet, quantum conijcimus, extitiſſe Domum quam inhabitare debuiſſet corporaliter plenitudo Deitatis. Secus de Humanitate exiſtente actu, poſt dimiſſionem vnionis hypoſtaticæ; tunc enim non videtur ea vllum habere amplius Ius ad Impeccabilitatem, perinde ac ſi nuſquam fuiſſet aſſumpta.

LXVI.

Summus noſter Sacerdos ita fuit Segregatus à Peccatoribus vt nullum aſſumpſerit Sanctitatis defectum proprie talem: puta non habuit fomitem peccati prout importat tentationem internam & motum prauum ad illicita inordinate trahentem. Non habuit Ignorantiam prout importat priuationem cognitionis debitę ſtatui proprio. Habuit tamen Corpus vere paſſibile, ijs obnoxium defectibus qui communes ſunt omnibus hominibus; vt daret locum fami, ſiti, laſſitudini, vulnerationi, Morti, &c. atque ita, nos redimeret. Habuit & motus Appetitus Senſitiui, Sed non anteuertentes Iudicium Rationis.

LXVII.

Nullum imponi potuit Chriſto Pręceptum ſtrictè tale: nempe comminatorium pœnę, ita vt ſi non exequatur, Incurrat Inimicitiam Dei, aut dilationem conſecutionis finis vltimi, aut pœnam aliam intuitu culpę infligendam. Hinc mandatum quod accepit à Patre de Morte ſubeunda, alijſque operibus meritorijs, cui vere obediens fuit, erat ſimplex pręceptum ſeù potius manifeſtatio prędefinitionis Diuinę.

LXVIII.

In Chriſto fuit abſolute libertas indifferentię: eaque ad actus inęquales ſibi poſſibiles, minus bonos aut meliores. Cum pleniſſima & perfectiſſima libertate elegit Chriſtus Mortem, tùm quoad ſubſtantiam, tùm quoad circumſtantias; Habuit enim poteſtatem ponendi Animam, qui oblatus eſt quia ipſe voluit nec aperuit os ſuum.

LXIX.

Voluntas humana Chriſti, fuit de facto ſemper, quoad omnia, & ſingula conformis volunlati Diuinę in ijs quæ ex Conſilio mandabat: atque ita perfecte diſpoſita erat per habitus omnium virtutum ſibi in ſummo gradu communicatos, cum optima abſque vllo defectu omnium eligibilium

lium cognitione, & integra Partis inferioris Subiectione, vt neceſſitata fuerit moraliter ad eligenda ſemper optima & optimo modo,

LXX.

Potuit mereri Chriſtus per actus viatoris proprios; ac de facto ſibi ipſi meruit, merito ſtrictè ac de condigno, gloriam Corporis ſui ſpecialem, & Nominis ſui ſpecialem exaltationem; non tamen Animę ſuæ Gloriam ſubſtantialem. Cætera Dona, præſertim illa quæ obtinuit abſoluto merendi tempore, puta Reſurrectio Impaſſibilitas Aſcenſio &c, fuerunt præmia meritorum ipſius, latiori acceptione nominis præmij, & meriti.

LXXI.

Meruit inſuper omnibus hominibus, tùm Reprobis, tùm Prædeſtinatis, etiam Adamo ante & poſt lapſum, omnia dona Gratiæ & Gloriæ Supernaturalia, & omnia ad id conducentia quæ vſquam habuerunt. Etiam Angelis omnibus tùm Prædeſtinatis, tum Reprobis meruit omnia Supernaturalia. Atque Vniuerſim omnia Dona quæ aliquando alicui Creaturæ puræ conceſſa ſunt, ex Chriſti meritis conceſſa ſunt.

LXXII.

Sacramentum eſt ſimilitudo Symbolica Sanctitatis, quàm ſignificat & cuius exiſtentiam inducit. Idcirco ad ſignificandam Animæ ſpiritualem purgationem Lauacrum Aquæ congruenter aſſumptum eſt; ad Nutritionem, Panis, & Vinum; ad Confortationem, olei Sacri Inunctio; & ſic de alijs, proportione aliqua ſeruata, inter effectus ſpeciales Gratię interioris quæ confertur, & Res externas ſignificantes.

LXXIII.

Sacramenta nouæ Legis conſtant intrinſece Rebus, & Verbis, tanquam Materia, & Forma; ex quibus, non in rigore phyſicò, ſed Moraliter ſolùm vnitis reſultat totum aliquod Morale, ad certum aliquem finem & effectum ab illis ponendum.

LXXIX.

Aliqua Sacramenta per ſe conferunt primam Gratiam: Characterem aliqua imprimunt Indelebilem. Quilibet Viator eſt capax Sacramentorum. Sed adultus valide non ſuſcipit, niſi ipſe conſentiat Saltem Virtualiter,

LAVS DEO.

23

Diſputabuntur in AEdibus Sancti Antonij Florentiæ Anno MDCLXIX. Die Menſis

25